Eme, & Rme Dne. SVpplicat P. Fabri Principalis se admitti ad nouum examen, illudque committi extra propriam Religionem Personis huic Sac. Congregationi beneuisis, & in vtroque videtur exaudiendus.

Quantum enim respicit admissionem ad nouum examen, cum idem Principalis à mala Examinatorum suæ Religionis relatione appellauerit, quod facere potuisse relatis resolutionibus Sac. Congregationis Concilij notat *Fagnan. in cap. Cum sit ars à num. 50. de ætat. & qualitat. Nouar. in summar. Bullar. par. 2. tit. de concurs. ad Paroch. num. 26. in fin. Barbos. in summ. Apostol. Decis. in verb. appellatio. num. 9. & in adnotat. ad Concil. sess. 7. de reform. cap. 13. num.* 26. & dixit *Rot. coram Coccin. decis. 682. sub num. 1. coram Ludouis. decis. 515. num. 2. & decis. 538. num.* 1. vtique ad docendum de grauamine suę reiectionis, arceri non debet à nouo proprio litteraturę experimento: modus namque optimus probandi scientiam examinati alias reiecti, & grauamen illatum ab Examinatoribus est nouum examen, vt per hæc verba in fortioribus terminis eius, qui ter fuerat reiectus, respondit *Rot. coram Merlin. decis. 159. num. 10. coram Pamphil. decis. 563. sub num. 2. & decis. 591. num. 4. coram Peutinger. decis. 263. num. 3. & 4.* & notat *Adden. ad Ludouis. dicta decis. 515. litt. A. in fin.*; ac nuper disputato formiter articulo de eo qui bis fuerat ab examinatoribus Vrbis reiectus firmauit *Rota in Syracusana Præpositurae 25. Iunij 1697. §. Moti ex eo, coram R. P. D. Muto*, vt in particula *Summario num.* 4.

Facilius animaduertendo ad duplicem, & quidem peculiarem facti circumstantiam, Alteram, quod Principalis à Reuerendissimo Patre Generali accersitus è Prouincia Apuliæ, statim ac ad Vrbem peruenit licet fatigatus longo itinere quindecim, & vltra dierum, nimia festinatione nulla interposita quiete fuit ad examen vocatus, quandò è contra pluribus alijs Religiosis ad similem effectum subeundi examinis à Vicinioribus locis accersitis concessa fuerat post eorum aduentum decem, & vltra dierum interpolatio, ac requies, adeout quando etiam per hypothesim subsisteret, Principalem examini plenariè non satisfecisse, id potiùs quam illitteraturæ, tribuendum foret lassitudini, & forsan terrori concepto ex graui examinatorum aspectu, prout ad effectum concedendi quartum examen ponderauit *Rota coram Merlin. dicta decis. 159. num. 9. & 12.*

Alteram, quod Reuerendissimus Pater Generalis Aduersarius in examine Patris Fabri contentus non fuit sola præsidentia, quam in aliorum Religiosorum examine vnicè præstiterat, sed proprium animum patefecit se velle circa eius idoneitatem suffragari, prout de facto primus omnium suffragium tulit, eumque inhabilem renunciauit; Vndè faciliùs moueri debemus ad credendum, quod

ex

ex hac nunquam vſitata diligentia, Principalis fuerit terrore perculſus, quod & diſertiſſimis ac Veteranis Oratoribus aliquando contigiſſe referunt *Plinius lib. 6. Epiſt. 29. & Seneca epiſt. 11. & Rot. coram Merlin. dicta deciſ. 159. num. 12. & in dicta Syracuſana Prępoſituræ 26. Iunij 1697. §. Idque facilius coram R. P. D. Muto, vt in particula.*

Indeque fit vt ponderatis huiuſmodi circumſtantijs minimè licere debeat, Principalis inſcitiam ex vnico examine arguere, cum ſcientiæ argumentum non ex vno, vel altero experimento deſumi poſſe indicet *Text. in proem. inſtitut.* §. *Cum hoc.* ibi = *Solertiam, & rerum ſcientiam ex multis rerum argumentis accepimus* ex quo Textu notat *Aldobrandin. ſuper inſtitut. eodem loco num.* 16. non poſſe quempiam ex vnico actu doctum Iudicari. Sic Atletæ tunc approbati dicuntur, quando tres in arena victorias obtinuerunt, per *Text. in l.* 1. *C. de Atlet. lib.* 10. ex qua lege notat *Bartol. num.* 2. in Paleſtra litteraria tertium examen eſſe ſubeundum, & Angelus, ac Ioannes de Platea referunt ortam conſuetudinem, vt quis tertio examinetur.

Idque vidimus etiam plures ab hac Sac. Congregatione ſeruari, & ſignanter de anno 1682. In Cauſa quinque Collegialium ſtudentium in Religione Seruorum S. Marcelli de Vrbe, quibus aſpirantibus ad Regentiæ munus, & hac de Cauſa Examini expoſitis, cum prodiſſet ab Examinatoribus reprobatio, Sac. Congregatio ipſis reclamantibus reſcripſit, quod quatenus reſponſiones ipſis datæ in examine recognoſcerentur minùs ſufficientes, fieret nouum per Examinatores deputan. à clar. mem. *Card. de Lauræa extra Religionum Seruorum, vt in noſtro Summ. num.* 3.

Hæc autem, quæ indiſtinctè procedunt, certò certius locum ſibi vindicant in hypotheſi, qua conſtat Principalem vigini ſex ab hinc annis Religioſum, & vitæ ſemper exemplaris, poſt nauatam Philoſophiæ operam ſpatiò quatuor annorum, & ſucceſſiuè Sacræ Theologiæ in quatuordecim annorum curriculo, ac demum reportatam præuio rigoroſo examine approbationem ad gradum Regentis, *vt in Summ. num.* 1. plura deinde propriæ Doctrinæ Teſtimonia, & quidem publica dediſſe tum docendo Theologiam in Cathedris Sueſſanen. tum præſidendo ſeptem publicis concluſionibus Theologicis in qualitate Magiſtri Regentis *vt in d. Summ. num.* 2. adeout nuper ſequuta reprobatio, niſi aliud dicere liceat, tribuenda ſit nimio rigori illorum quatuor Examinatorum, qui vt morem gererent Reuerendiſs. Aduerſario forſan pro inhabilitate reſponderunt, etiam ſi alij duo, nempe P. Proc. Generalis totius Ordinis, & P. Gauardus publicus, & emeritus Sac. Theologiæ Lector in Almæ Vrbis Archigimnaſio Principalem idoneum Iudicauerint, quam circumſtantiam ad effectum facilius admittendi nouum examen animaduertit *Rot. in d. Syracuſana Præpoſituræ §. Idque facilius coram* R. *P. D. Muto, vt in particula.*

Et ſanè imperceptibile redditur, quod P. Fabri quinque ab hinc retro annis reputatus fuerit tali Doctrina prędictus, vt poſſet ad mu-

nus

nus regentis studiorum promoueri,& sic destinari in Religiosorum studentium Magistrum,& è contra modo, postquam iuiunctum sibi munus quinquennio feliciter expleuit, adeo ignarus euaserit, vt suorum laborum præmium nempè lauream Magistralem minimè promereatur, cum tamen is eligi debeat Magister, qui in se laudabilem vitam probis moribus monstrauerit, & docendi Peritiam, facundiam dicendi, interpretandique subtilitatem, & copiam disserendi se habere patefecerit sunt verba *glos. in proem. institut.* §. *Cumque hoc sub litt. H. verb. eligendus est enim*, & habilitas semel acquisita inhereat menti, & animo, & actus scientifici sint ad instar formæ quæ imprimitur stabilis in intellectu, neque deletur nisi organa illius corrumpantur sunt verba R*otæ in decis.* 175. *sub num.9.cum seqq.par.*18.*rec.* quam in his terminis refert, ac sequitur *d.Syracusana Præpositura sub d.*§.*Idque facilius coram* R. *P.D. Muto*.

Veritatem hanc agnoscens ipsemet P. Generalis Aduersarius, vt se excuset à denegatione secundi examinis allegat in Informatione huic Sacræ Congregationi exhibita §. *In oltre*, quod sicut ipse poterat non vocare principalem ad primum examen, ita potuit eum reprobatum ad secundum non admittere. At friuula est excusatio, & argumentum nimis probat dum supponit adeo liberam, & semper absolutam Generalis facultatem, vt sicuti poterat non examinare, ita possit reijcere, ac ita possit etiam approbatum non laureare, quod est absurdum quidquid enim sit an in eius facultate positum esset magis vnum Regentem quam alterum ad examen vocandi, licitum tamen non erat vocatum reijcere, quoties idoneus extitisset, quia licet actus vocationis ad examen esset P. Generali facultatiuus, eo tamen sequuto Ius tale quæsitum fuit examinato, vt nequeat esse amplius facultatiua electio in Magistrum, quam examen expectat post se, ac fit necessaria quia facultatem habens faciendi at non faciendi si faciat censetur facultati renunciasse iuxta firmata per R*ot.in Pisauren.Tutelę, seù Spolij* 29.*Martij* 1683.§.*Nec suffragari coram bo.me.Albergato*. Quo circa redire debemus ad principium an P.Fabri fuerit iustè rebrobatus in examine necne, quod alias quam mediante secundo examine certum fieri non potest ex auctoritatibus supra allegatis *in* §. *Primo quibus addi potest Pignatell.consultat.Canon.tom.*4.*consultat.* 149. *sub num.*5.*cum seqq.*

Stabilito ex præmissis locũ esse secundo examini facilius exaudien. videtur Principalis in altera Dubij parte, vt nempè istud extra Religionem committatur; Durum quippe nimis foret, vt idem Principalis cogeretur eorum subire Iudicium, quod sibi contrarium in priori examine fuit expertus, vt ex auctoritate *Vener. in exam.Episc.lib.*4.*cap.*45.*n.*40.*& Garz.de benef.par.*9.*cap.*2.*n.*245. *in fin.* respondit R*ot.in d.Syracusana Præpositura* §.*Firmata ex his cor.*R.*P.D.Muto, vt in particula*.

Nec est cur opponatur totius Ordinis Religiosi reuolutio ex commissione noui examinis extra Religionem; Siquidem Ius non patitur,

vt

vt P. Fabri eos habere debeat Iudices, à quorum Iudicio appellauit, & de quibus multò magis suspicari licet in præsenti ob litem, quæ in hac Sac. Congregatione discutitur, in qua de relatione Examinatorum conqueri oportet, & de facto nullo habito respectu ad huiusmodi exageratam reuolutionem ista met Sac. Congregatio in Causa Collegialium Religionis Seruorum de anno 1682. nouum examen commisit extra Religionem *d. nostro Summ. nu. 3.* & Sac. Rota *in d. Syracusana Præpositura* commisit Reuerendiss. Decano, & R.P.D. Muto tertium examen eius, qui bis fuerat reprobatus ab Examinatoribus Vrbis, *vt in fine decis. quæ datur in particula.*

Minus vrget aliud obiectum in eadem Informatione P. Generalis promotum, quod cum Examinatores propriæ Religionis sint notæ probitatis, ac Doctrinæ præsumen. sit Principalem non alias, quam ex propria inscitia fuisse reprobatum.

Duplex namque occurrit responsio. Altera quod huiusmodi præsumptio probitatis militat in quibuscumque Examinatoribus, & tamen passim illorum loco alij subrogantur ad perscrutandam iniustitiam reiectionis: Altera quod ex nostris Examinatoribus duo & quidem notæ probitatis, ac doctrinæ suffragium dederunt pro admissione Principalis, vndè an isti, vel alij iniustè Iudicauerint, recognoscent ij quibus hæc Sac. Congregatio nouum examen committere dignabitur.

Quare &c.

Thomas Antamorus Aduoc.

SACRA CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo Dño Card.

GABRIELLIO

Romana Magisterij.

PRO

R. P. Regente Gregorio Fabri.

CONTRA

Reuerendiss. Patrem Generalem Ord. Eremitani S. Augustini.

Iuris.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 1703.
Superiorum permissu.